

proprius habitus Canonicalis. Si autem fuerit Regularis, in habitu, ab ipso deferri solito in concionando. Sermo vero regulariter infra Missam debet esse de Evangelio currenti. Quicumque sermonem habiturus, finito Evangelio, du-cendus est per Cæremoniarium cum debitis reverentiis ad osculum manus Episcopi, quam nisi fuerit Canonicus genuflexus osculatur; Canonicus autem stans, profunde incli-natus, osculatur manum; deinde benedictionem petit, di-cendo *Jube, Domne, benedicere*, cui Episcopus respondet: *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis, ut digne et fru-ctuose annunties verba sancta sua. In nomine Patris, † et Filii, et Spiritus sancti. Amen.*

3. Accepta ab Episcopo benedictione, petit mox ab eo-dem Indulgentias, dicendo *Indulgentias, Pater Reveren-dissime*, cui Episcopus concedit Indulgentias consuetas; quibus habitis, cum debitis reverentiis recedit, ac vadit ad ambonem, seu pulpitem, in quod cum conscendit, aliquan-tulum quiescit, ac se componit, cooperiens caput; et statim, capite detecto, signat se signo crucis, et genu-flexus recitat Salutationem Angelicam, non *Regina cæli*, etiam tempore Paschali, voce intelligibili et devota, mox surgit, et capite cooperto incipit sermonem.

4. Inter concionem, cum convertit orationem ad Epi-scopum, aut Legatum ibi præsentem, caput profunde in-clinat. Finito sermone, capite detecto, genuflexus expectat finem confessionis, quam facit Diaconus, et ea finita surgit, et stans in eodem pulpito, seu suggestu, publicat Indulgentias ab Episcopo concessas, et statim descendit, receditque in pace; advertat propterea, ut formam pro-nuntiandi Indulgentias memoriter teneat.

5. Si vero habendus sit sermo extraordinarius, velut ad publicandum aliquod Jubilæum, vel pro gratiarum actione ad Deum de aliquo felici nuntio, aut publicatione fœderis, seu in adventu alicujus maximi Principis, vel ex alia qua-cumque simili occasione, non debet infra Missam fieri, sed illa finita, nec tunc petitur benedictio.

6. Idem dicitur, si in Missa Defunctorum, vel in laudem alicujus magni viri defuncti habeatur; quo casu fit statim, finita Missa, antequam fiat absolutio, ut in *Cap. xi. Lib. II.* de Missa Defunctorum dicitur, et in habitu ordinario.

CAPUT XXIII.

Quo ordine et modo thus in thuribulum imponatur, illud-que benedicatur. Quo ritu fiat ab Episcopo, vel cele-brante thurificatio in Vesperis solemnibus. Crux alta-ris triplici ductu thurificatur. Altare, reliquiæ, seu imagines Sanctorum quomodo incensandæ. Ritus thu-rificandi in Missa solemnibus. Quando incensandi sint Le-gatus de latere, vel alius Cardinalis, Episcopus, Digni-tates et Canonici. Quo ritu thurificandum SS. Sacra-mentum in altari expositum. A quibus, et quo ordine thurificandi sint Legatus, Rex, Princeps magnus, Ma-gistratus et nobiliores.

1. Circa thuris benedictionem hoc servandum est, ut cum Acolythus sive Cæremoniarium affert thuribulum cum pru-nis ardentibus, sinistra; naviculam autem cum thure et cochleari, dextera ad Episcopum, aut celebrantem, illico adsit, vel primus Presbyter assistens, vel, si Episcopus celebrans est apud altare, Diaconus Evangelii, juxta regulas suis locis traditas, et accipit de manu prædicti Acolythi naviculam semiapertam, et cochlear in ea exi-stens, cum osculo cochlearis et manus Episcopalis, offert eam Episcopo, dicens *Benedicite, Pater Reverendissime*; Episcopus vero, accepto cochleari, sumit cum eo ter ex navicula thus, illudque etiam ter in thuribulum mittit, dicens interim: *Ab illo benedicaris, in cujus honorem cre-maberis.*

2. Quo facto, ac reddito cochleari eidem ministro, qui rursus manum et illud osculatur, ipse Episcopus format

manu dextera signum crucis super thus in thuribulo; ipse vero Acolythus thuribulum deferens, illud portat, et, cum opus est, operculum per catenulam sursum trahit, juxta normam in *Cap. xi. hujus Lib. i. § vii.* positam.

3. Materies autem, quæ adhibetur, vel solum, et purum thus esse debet suavis odoris; vel, si aliqua addantur, advertatur, ut quantitas thuris longe superet.

4. Hujusmodi thurificatio principaliter fit versus altare et crucem, ac Reliquias et imagines Sanctorum super eo positas, hoc ordine. Nam imposito et benedicto thure, ut supra, Episcopus, vel celebrans capit de manu Diaconi in Missa, vel de manu Presbyteri assistentis in Vesperis, thuribulum, videlicet sinistra catenulas, quibus thuribulum sustinetur in earum summitate, dextera vero easdem catenulas simul junctas, prope thuribulum tenet, ac thuribulum sustinet; ita ut illud commode ducere versus crucem et imagines prædictas, et ad se retrahere possit; quod recte fit, si ipse Episcopus, aut celebrans, accepto thuribulo, teneat dexteram, quo fieri potest, proximiorum ipsi thuribulo, ita ut parvum catenularum spatium remaneat inter ipsius manum dexteram et thuribulum, præsertim cum thurificantur oblata; nam, si nimis thuribulum pendeat, nec commode, nec secure, nec decore illam actionem expedire posset, et facta cruci profunda reverentia, thurificet illam triplici ductu.

5. Mox iterum facta cruci reverentia, incensat altare, ter ducens thuribulum æquali distantia, prout distribuuntur candelabra, a medio ejus usque ad cornu Epistolæ, ubi demissa manu, thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem, duplici ductu thuribuli: deinde conversus ad altare, elevans manum, ab eodem latere illius planitiem, seu mensam ipsam in parte superiori, triplici ductu usque ad medium, ubi facta cruci reverentia, procedit thurificando aliud latus altaris triplici ductu usque ad cornu Evangelii, et pariter incensata inferiori et superiori parte ipsius cornu Evangelii simi-

liter duplici ductu, adhuc stans ibidem, elevat thuribulum, et ter incensat superiorem tabulæ partem versus medium altaris, ut fecit in cornu Epistolæ, deinde manu aliquantulum demissa, incensat frontem, seu anteriorem partem altaris, ter ducens thuribulum, dum procedit a cornu Evangelii usque ad medium altaris: ubi denuo facta cruci reverentia, incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem usque ad cornu Epistolæ, ubi sistat.

6. Si vero in altari fuerint Reliquiæ, seu imagines Sanctorum, incensata ter Cruce, et facta ei reverentia, antequam discedat a medio altaris, primum incensat eas, quæ a dextris sunt, id est a parte Evangelii prope Crucem, bis ducens thuribulum, et iterum facta Crucis reverentia, similiter incensat bis alias, quæ sunt a sinistris, hoc est a parte Epistolæ, deinde proseguitur incensationem altaris, ut supra, ter ducens thuribulum in unoquoque latere, etiamsi in eo essent plures Reliquiæ, vel imagines, seu etiam plura, vel pauciora candelabra.

7. Finita hoc modo incensatione, sistens in cornu Epistolæ, reddit thuribulum Diacono, seu Presbytero assistenti, et, si celebret Missam, accepta mitra, ibidem triplici ductu thurificabitur, ut infra dicetur.

8. Dum autem Episcopus, seu alius celebrans prædictam altaris thurificationem facit, advertat, ut se in ea graviter et decore gerat, non personam, aut caput, dum thuribulum ducit reducitque, movens; sinistram, quæ summitatem catenularum retinet, firmam stabilemque ante pectus tenebit; dexteram vero manum ac brachium commode ac tractim cum thuribulo movebit; ita ut, cum thuribulum ad se retrahit, illud sub brachio leviter, et competenti mora reducat; et dum procedit thurificando altare, eundo et redeundo, semper illum pedem prius moveat, qui proximior est altari; totque omnino passus faciat, quot thuribuli tractus, ut manus pedesque in motu decenter concordent.

9. Hæc, quæ dicta sunt, observantur cum Episcopus, vel alius in Vesperis, vel in principio Missæ thurificat altare.

10. Cum vero post Offertorium, oblata et altare iterum thurificantur, Diaconus Evangelii porrigens naviculam Episcopo, vel celebranti, dicit, ut prius: *Benedicite, Pater Reverendissime*; cui ille respondet: *Per intercessionem beati Michaelis, etc.*, et accipiens thuribulum de manu Diaconi, nulla facta tunc Cruci reverentia, ter facit signum crucis cum eo super calicem et hostiam simul in modum crucis, et ter circum calicem et hostiam, scilicet bis a dextera ad sinistram, et semel a sinistra ad dexteram, Diacono interim pedem calicis tenente manu dextera, dispensans verba in qualibet incensatione, hoc modo. In prima incensatione *Incensum istud, in secunda a te benedictum, in tertia ascendat ad te Domine, in quarta et descendat super nos, in quinta et sexta misericordia tua.*

11. Deinde facta reverentia Cruci, incensat illam et altare, eo modo, quo paulo ante dictum est, assistente semper ibi Diacono, qui, cum Episcopus Crucem incensat, amovet calicem ad partem Epistolæ, et incensata Cruce, reponit in loco suo. Cum vero Episcopus incipit thurificare Crucem, inchoat illa verba: *Dirigatur, Domine, oratio mea, etc.*, et reliqua sequentia prosequitur in incensatione Reliquiarum et imaginum, si ibidem sint, atque ipsius altaris, ita ut ea taliter distribuatur, ut eodem tempore finiatur verba et thurificatio.

12. Cum reddit thuribulum Diacono, dicit *Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, etc.* Peragenda autem est hujusmodi thurificatio a quocumque celebrante, semper detecto capite.

13. Et in Vesperis quidem semel tantum altaris et celebrantis, deinde Episcopi, nisi ipsemet celebret, mox aliorum thurificatio fit, videlicet, inchoato Cantico *Magnificat, etc.* sed in Missis solemnibus ter modo suprascripto thus benedicatur; videlicet, in principio, antequam dicatur Introitus, et tunc thurificatur altare, celebrans et Episcopus, quando adest in Missa per alium celebrata cum pluviali et mitra, et non alii; secundo ante Evangelium,

et tunc thurificatur tantummodo liber Evangeliorum, et Episcopus post Evangelium illico, si est paratus pluviali et mitra, et nulli alii, præterquam, si adesset Cardinalis Legatus, vel alius Cardinalis; quia tunc post Evangelium non thurificatur Episcopus, sed Legatus, vel Cardinalis; nam Episcopus, præsentem Legato, vel alio Cardinali, non debet assistere Missæ paratus cum pluviali et mitra. Tertio post oblata, et tunc thurificantur oblata, altare, celebrans, Episcopus, mox Dignitates et Canonici, et alii omnes eo ordine, quo infra dicitur; ita ut Episcopus mitratus ter in Missa thurificetur. Quod similiter observandum est de Cardinali Legato, vel alio Cardinali mitrato, qui Missæ assistit: nullus vero neque Legatus, neque Cardinalis, neque Episcopus, si non sunt mitrati, incensatur in Missa, nisi semel, scilicet post oblata.

14. Imponitur autem et benedicatur thus ab Episcopo, si celebret, regulariter apud sedem suam, vel apud faldistorium, præterquam in principio Missæ, et ad oblata, quia tunc imponit et benedicat thus stans apud altare: si non celebret, sed cum pluviali et mitra, vel saltem cum cappa assistat Missæ solemniter, semper imponit et benedicat thus apud sedem suam.

15. In Vesperis pro Defunctis nulla prorsus, nec altaris, nec hominum fit thurificatio, sed in Missis Defunctorum, semel tantum post oblata; et tunc oblata, altare, celebrans, et Episcopus tantum, si ipse non celebrat, et nulli alii thurificantur, et fit benedictio thuris; prout in aliis Missis ad oblata, videlicet, dicendo *Per intercessionem beati Michaelis, etc.* Advertat autem Thuriferarius, ut, cum dat thuribulum in manibus, vel Presbyteri assistentis, vel Diaconi, qui mox illud ad manus Episcopi, altare thurificaturi, porrigunt, catenularum summitatem in dextera, thuribulum vero in sinistra dicti ministri ponant, ut ipse deinceps minister commode ad manus Episcopi contrario modo porrigat: videlicet, catenulas in sinistra, thuribulum in dextera.

16. Illud observandum est, ut Episcopus, sive Archiepiscopus, sive etiam Legatus, aut alius S. R. E. Cardinalis, sive paratus sacris indumentis, sive non, nunquam sedens, sed stans thurificetur, aliquando tamen cooperto capite, aliquando eo detecto. Nam in principio Missæ, altari thurificato, Episcopus, si est paratus, stans cum mitra thurificatur, post vero Evangelium sine mitra: post oblata cum mitra; si vero non est paratus, post oblata tantum, stans capite detecto.

17. In Vesperis, si ipse Episcopus paratus celebrat, thurificato altari, capit mitram, et revertitur ad sedem, ibique mitram retinens thurificatur. Si vero interest Vesperis non paratus, sed in cappa; thurificato per celebrantem altari, ipse apud sedem suam stans, detecto capite thurificatur. Nullatenus autem permittat, sive paratus, sive non, sedentem se ab ullo genuflexo thurificari, neque in principio Missæ, neque post oblata, quæ est specialis prerogativa Summi Pontificis.

18. Si SS. Sacramentum super altari expositum sit, semper ab Episcopo, vel alio celebrante genuflexo thurificandum est triplici ductu: quod si ipsum solum Sacramentum sit thurificandum, ut in principio et fine Processionis feria quinta, et sexta majoris Hebdomadæ, et in festo ejusdem SS. Corporis Christi, et cum ponitur Oratio Quadraginta horarum, nunquam debet ab Episcopo, neque ab alio thus benedici, sed simpliciter poni in thuribulum, et porrigitur sine osculatione manus Episcopi: similiter, et quando per Cæremoniarium, vel Acolythum, aut Subdiaconum in Elevatione thurificatur, quo casu ab eodem Acolytho, seu a quocumque alio clerico ponitur in thuribulum simpliciter absque benedictione.

19. Sed si thurificandum est altare, super quo positum sit SS. Sacramentum apertum, ut in Vesperis festivitatis ejusdem Corporis Christi, tunc benedicitur thus, sed thurificatio Sacramenti fit cum genuflexione; et quoties ante illud transit celebrans, toties genuflectit. Cum in Missa

post thurificationem oblatorum, Episcopi et Canonicorum, seu Dignitatum ad ejus latus assistentium, fit generalis omnium thurificatio in choro, omnes, præter Episcopum et dictos ejus assistentes, stant.

20. Ipsi autem, quibus thus datur, observare solent, ut alter alterum immediate subsequentem capitis nutu modeste invitet ad thurificationem prius capiendam, sive Ecclesiastici, sive sæculares sint: et si is, qui thurificat, sit æqualis dignitatis, cum eo, qui thurificandus est, aut etiam majoris, invicem capite inclinato, sibi reverentias faciunt ante et post thurificationem: si vero, qui thurificat, minor est, ipse quidem versus majores caput profunde inclinat ante et post, illi autem parum, vel nihil versus thurificantem correspondent pro qualitate ipsius thurificantis, qui et ipse thurificando alios post Canonicos, parum, vel nihil versus eos caput inclinat, pro eorum qualitate.

21. Sed Episcopus, vel Legatus, cum thurificatur, nullatenus versus thurificantem caput, nec modicum quidem, inclinet, sed manu dextera super eum signum crucis faciat.

22. Personæ autem, quibus hoc officium thurificandi alios competit, solent esse diversæ pro diversitate celebrantium, et solemnitatum, ac personarum quæ thurificandæ sunt. Nam Episcopus solemniter celebrans Vesperas, thurificato per ipsum altari, thurificatur, stans apud sedem, a primo Presbytero assistente parato, qui postmodum dat thuribulum in manibus Subdiaconi, qui in crastinum cantaturus est Epistolam in Missa; vel alicujus Acolythi, vel alias, ut dicitur in *Cap. i. Lib. ii.* qui thurificat reliquos omnes de choro.

23. In Missa vero, cum Episcopus est apud altare, thurificatur semper a Diacono Evangelii parato: cum vero est apud sedem, videlicet finito Evangelio, thurificatur a prædicto Presbytero assistente, pluviali parato, qui accipit thuribulum de manu Acolythi, qui illud tenebat.

24. Sed si celebret apud falditorium, puta præsentem Legato, vel Metropolitano, thurificatur ab eodem Diacono, qui et alios de choro thurificat: deinde dat thuribulum in manu alicujus Acolythy, qui primo ipsum Diaconum, a quo recipit thuribulum, mox alios, si qui in choro supersunt, et reliquum populum thurificat. Diaconus vero tunc revertitur ad officium suum.

25. Quod si adesset Legatus, Rex, aut Princeps magnus, nihilominus eadem personæ ipsos thurificent, quas diximus, Episcopum celebrantem thurificare, et non aliæ, præsertim, quæ in dignitate Episcopali sunt constitutæ, quas nullo modo convenit alios, quantumlibet maximos Principes, thurificare.

26. Si autem Episcopus non celebrat, sed interest Vesperis, vel Missæ per alium celebratæ, ipse Episcopus semper a primo Presbytero assistente thurificandus est, Canonici vero, et alii de choro in Vesperis ab aliquo Acolytha, in Missa a Diacono, qui cantat Evangelium thurificantur, qui et cæteros omnes thurificat. Antequam inchoetur Evangelium, videlicet, lecto per Diaconum titulo Evangelii, ipse ter thurificat librum Evangeliorum; primo in medio, tum a parte dextera libri, mox a sinistra.

27. Ordo autem thurificandi, sive in Vesperis, sive in Missa, erit talis. Primo in Vesperis, thurificato altari, thurificatur Episcopus celebrans, vel alius quicumque celebrans cum dicitur *Magnificat anima mea, etc.* Idem observatur in Missa, tam in principio, quam post oblata; tum Legatus Cardinalis, si aderit, vel etiam Cardinalis non Legatus; mox Archiepiscopus illius Provinciæ, si aderit, et post eum Episcopus non celebrans, sed præsens in sacrificio; post quem immediate Presbyter assistens, et duo Diaconi assistentes, nisi adsint majores Episcopo; et casu, quo non fiat Episcopo assistentia.

28. Si forte aderunt Nuntius Apostolicus cum facultate Legati de latere, intra fines suæ Legationis, aut Visitator Apostolicus Episcopus, thurificantur ante Archiepiscopum

et Episcopum: sed si Nuntius Apostolicus non habeat talem facultatem, vel Visitator non sit Episcopus, post Episcopum et Archiepiscopum; et hoc intelligatur quando Nuntius et Visitator sunt in loco eorum jurisdictionis. Si aderunt Episcopus, vel Archiepiscopus hospites, thurificandi sunt post proprium Episcopum.

29. Si forte aliquis S. R. E. Cardinalis esset Episcopus Suffraganeus, præsentem suo Metropolitano non Cardinali, thurificandus est prius ipse Cardinalis ob reverentiam dignitatis Cardinalitiæ; post prædictos thurificantur, si aderunt, Protonotarii de numero participantium; deinde Nuntii Apostolici Prælati, non existentes in loco eorum jurisdictionis, sed transeuntes; tum Dignitates et Canonici secundum eorum ordinem; videlicet, primo Dignitates, deinde Canonici Presbyteri, tum Diaconi, mox Subdiaconi, si Præbendæ sint distinctæ; tum, si aderunt, Abbates benedicti; et post eos, si erunt aliqui Protonotarii supernumerarii, nisi essent consanguinei alicujus maximi Principis, qui pro judicio et prudentia Episcopi thurificari poterunt loco convenienti, ante Dignitates et Canonicos. Vicarius vero Episcopi pro consuetudine Ecclesiarum: et hæc quoad personas Ecclesiasticas.

30. Quo vero ad laicos, Princeps magnus Dominus loci non recognoscens superiorem, thurificatur immediate post Episcopum. Imperator tamen et Reges indistincte ante Episcopum sunt thurificandi. Proreges vero et Governatores Regnorum ac Provinciarum immediate post Episcopum; Magistratus civitatum thurificantur post Dignitates et Canonicos, nisi sint de majoribus et perpetuis, qui thurificantur ante Canonicos; nisi rursus Canonici sint parati; quia tunc et ipsi thurificantur post Canonicos paratos; Barones et Domicelli sine titulo post Magistratus omnes. Hi omnes ab iis thurificantur, ad quos ex consuetudine id munus pertinet.

31. Si adesset aliqua mulier insignis, ut Regina, vel magna Principissa, utique et ipsi thus dari convenit in

loco, ubi daretur ejus viro, si adesset. Demum advertere debet Thurificator, ut numerum thurificationum observet pro qualitate rerum et personarum, quæ thurificantur.

32. Nam SS. Sacramentum, Crux altaris, Episcopus, vel Archiepiscopus thurificantur triplici ductu; Dignitates et Canonici duplici ductu; inferiores unico ductu. Si adesset Legatus, vel alii Cardinales, ipsi ter, et Episcopus et celebrans bis; Dignitates et Canonici semel, cæteri trans-eundo. Si vero adsit Dominus loci laicus, vel alius Princeps major, ter, ut Episcopus: celebrans, Dignitates et Canonici bis, cæteri semel, ut supra, nisi rursus adessent Legatus, vel alii Cardinales, quo casu duplici ductu thurificantur, sicut Episcopus, Dignitates vero et Canonici tunc unico tantum ductu thurificantur, ut proxime dictum est. Illud igitur observandum est, ut celebrans semper triplici ductu incensetur, si nullus sit eo major, cui triplex ductus debeat. Porro Nuntius Apostolicus cum facultate Legati, Visitator Apostolicus Episcopus in loco eorum jurisdictionis triplici ductu incensantur; quemadmodum triplici ductu thurificantur Dominus loci laicus, et Princeps maximus, qui thurificari debent ab iis, qui ex consuetudine hæc munia explere solent.



CAPUT XXIV.

Ordo dandi pacis osculum. Si Episcopus celebrat solemniter, dat osculum Presbytero assistenti, qui illud per chorum ordine distribuit. Diaconus Evangelii, et Subdiaconus Epistolæ pacem accipiant ab Episcopo celebrante, cum ab eo communicantur. Presbyter assistens, osculum ferens, nulli reverentiam facit, antequam ei pacem dederit. Ordo servandus in pace distribuenda. Si Episcopus assistat, Presbyter assistens capit pacem, quam defert Episcopo, qui eam duobus Diaconis assistentibus dat. Quid servandum, si Prælatum celebret, Episcopo assistente. In Ecclesiis Collegiatis pax a Subdiacono per chorum distribuitur.

1. Pacis osculum alio modo, ac per diversos ministros præberi consuevit, cum scilicet Episcopus ipse celebrat solemniter Missam; aliter cum Missæ per alium Prælatum, vel non Prælatum cantatæ interest; aliter cum, ipso Episcopo absente, vel in Collegiatis Ecclesiis Missa sollemnis celebratur; et demum aliter in Missa plana.

2. Episcopo igitur celebrante, postquam cum Presbytero assistente a sinistro, ac Diacono a dextero latere, dixerit: *Agnus Dei, etc.*, ipse Presbyter assistens accedit ad ejus dexteram, et genuflectit ante SS. Sacramentum, ac surgens, osculatur altare simul, et eodem tempore cum ipso celebrante; mox appropinquans sinistram genam sinistrae celebrantis, accipit ab eodem celebrante dicente *Pax tecum osculum pacis*, cui ipse respondet *Et cum spiritu tuo*, factaque ibi iterum genuflexione, discedit, comitante Cæremoniario, osculumque prædictum per chorum ordine distribuit, incipiendo a dignioribus.

3. Ordo autem idem erit, prout in *Capite xxiii. Lib. i. § xxvii.* proxime præcedenti de thuris ministrante dictum fuit, hoc excepto, quod ipse assistens non dat osculum

Diacono Evangelii, et Subdiacono Epistolæ, nec duobus Diaconis assistentibus: isti enim capiunt pacem ab eodem celebrante statim, postquam illam dederit Presbytero assistenti, genuflectentes prius et post, ante SS. Sacramentum, non tamen osculantes altare. Illi vero, hoc est, Diaconus Evangelii, et Subdiaconus Epistolæ capiunt pacem ab eodem Episcopo celebrante, cum ab eo accipiunt communionem.

4. Sed si fuerint Sacerdotes, et jam celebraverint, aut velint hac die celebrare, tunc postquam Presbyter assistens cum pluviali, pacem ab Episcopo celebrante acceperit, ut eam per chorum distribuat, ab eodem celebrante pacem etiam accipiunt cum Diaconis assistentibus, Diaconus Evangelii, et Subdiaconus Epistolæ.

5. Observabit autem ipse Presbyter assistens, osculum deferens, ut nulli quantumvis supremo Principi, etiamsi esset Imperator, vel Rex, ullam reverentiam faciat, antequam ei pacem det, sed post datam pacem; cui etiam ipsi, qui acceperunt pacem ab eo, debita reverentia correspondent, cum sit ex primis Dignitatibus, vel Canonicis Ecclesiæ. Legatus tamen, aut Princeps supremus parum correspondent in reverentia.

6. Regulare est, ut pax detur primo cujusque ordinis, videlicet, primo ex Canonicis Presbyteris, primo ex Canonicis Diaconis, et primo ex Canonicis Subdiaconis, ubi distinctæ sunt Præbendæ; vel, ubi Præbendæ non sunt distinctæ, primo ab utroque latere stanti, qui successive pacem dat altari subsequenti, et ille dat alteri: et si aderunt laici, ut Magistratus, et Barones, ac nobiles, detur illis pax cum instrumento, quod instrumentum osculetur prius Presbyter assistens.

7. Postquam verò prædictus assistens pacem Dignitatibus et Canonicis, ac magistratui dederit, dabit eam alicui Acolyto, vel Cæremoniaro, qui cæteris de choro distribuit. Nulli autem Ecclesiastico osculum hujusmodi dandum est, nisi stanti.

8. Quando Episcopus ipse non celebrat, sed Missæ per alium celebratæ præsens fuerit, idem Presbyter assistens accipiet pacem a celebrante, acceptamque Episcopo deferet, qui eam duobus Diaconis assistentibus dat.

9. Advertendum tamen est, si is, qui celebrat, sit Prælat, ita ut habeat Capellanum assistentem cum pluviali in Missa, tunc ipse Capellanus assistens, postquam Episcopus pacem dederit duobus Diaconis assistentibus, accedit in choro ad locum dicti Presbyteri assistentis, qui dedit pacem Episcopo; et ab eo accipit pacem, quam ad alios de choro ordine superius dicto defert.

10. Quod si is, qui celebrat, non sit Prælat, nec habeat Capellanum assistentem cum pluviali, eodem modo Presbyter Episcopo assistens accipit pacem a celebrante; eamque ad Episcopum defert, qui dat illam Diaconis assistentibus, ut supra: mox stans in loco suo inter Canonicos, illam dabit Subdiacono, qui cantavit Epistolam in Missa, qui ad alios defert, nisi adesset major Episcopo; quia tali casu semper illi dabitur pax ab eodem Presbytero assistente, qui pacem dat Episcopo, ut in *Cap. xxiii. §. xxii.* de thurificatione dictum est.

11. Absente Episcopo, ut in Ecclesiis Collegiatis, servabitur ordo, ut in Rubricis Missalis; videlicet, ut Subdiaconus, accepta pace a Diacono, illam per chorum distribuat; sed quicumque sit, qui pacis osculum defert, sive Presbyter assistens, sive Capellanus, sive Subdiaconus, eadem observabit, quæ de Presbytero assistente supra dicta sunt, quoad reverentias, et formam dandi osculum.

12. In Missis planis, quæ coram Episcopo dicuntur, adhiberi solet instrumentum pacis, ut in *Cap. xxx. Lib. i.* dicitur. Itaque ad ordinem distribuendæ pacis, ac ejus ministros quod attinet, servetur laudabilis locorum consuetudo.